



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri**

**Ávila, Esteban de  
Azpilcueta, Martín de**

**Lvgdvni, 1609**

Naufragium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41656**

## NAUFRAGIVM.

NAUFRAGIO amissa in mari, quæ nec sunt piratarum, nec infidelium, tenetur restituere, qui ex eis aliqua sibi accepit, quâuis illa aliâs perirent, nisi ipse acciperet. Non tamen tenetur, si exponat se periculo mortis, ut seruet ea. Sed in hoc casu tenetur etiam restituere, si dominus sperabat se alia via recuperaturum illa bona. cap. 17. num. 98.

Sed intellige hîc de piratis, aut infidelibus, cum quibus est nobis bellum iustum, non de Christianis piraticam exercentibus, de quibus hîc non est Sermo. ibidem. additum in Nouo.

Res à piratis quibusuis raptæ, debent restitui suis dominis, si cognoscantur. Quamuis de raptis, aut receptis ab hostibus iustis, & postea recuperatis, distinguatur in quibusdam legibus. ibidem. §. 4.

Qui capit aliquid amissum in mari, potest sibi retinere illud tribus concurrentibus. I. Quòd illud omnino erat perditum, si non saluasset ipse. II. Quòd dominus perdiderit spem recuperandi. III. Quòd saluans illud, maximo vitæ periculo ob id se obiecerit. ibidem. §. 5.

P p      Illud



Illud dictum generale, Quòd, res alienæ ubicumque reperiat, est domino restituenda, non est perpetuò verum. Fallit enim. I. Cùm iusta causa suadet contrarium. II. In re vsu capta. III. In re pro derelicta habita. IV. In re clam accepta pro legali debito. Vnde in casu naufragij iusta causa sibi retinendi haberi videtur, quando Dominus satis præsumitur illam amissa habuisse pro derelictis. ibidem. additum in Nouo.

Non tenetur restituere qui in naufragio capit habita pro derelictis. Pro derelicto censetur *id quod dominus deserit, credens, quod licet recuperari posset sine probabili periculo vitæ, nullus tamen id subibit.*

Non tamen habetur pro derelicto quod mittitur in mare ad leuandam nauim tempore procellæ. cap. 17. num. 99.

Sicut vsucapio iustificat acquisitionem rei alienæ, ne incerta sint rerum dominia, ita & acceptum in naufragio, ne omnino pereat, iustificat causam retinendi, & non restituendi illud, dummodo adiungas huius titulo, spem recuperandi amissam, præsumptionem derelictionis, periculum magnum accipientis, prouidentiam diuinam tali ex insperato recuperanti concessam. ibidem.



Peius est vt res omnino pereat, quam vt eius dominium sit incertum. ibidem.

NECESSITAS. Existenti in extrema necessitate, aliquando tenetur homo succurrere, etiam cum periculo proprio. cap. 11. num. 13. vide, tit. Eleemosyna.

Extremè indigenti quoad spiritualia quid facere debeamus vide.

Extremè indigens non enetur restituere, etiam si creditor extremè indigeat, nisi dominium rei restituendæ semper remanserit penes creditorem. cap. 17. nu. 60.

Qui extremè indigens accepit aliquid, vt se liberaret ab illa necessitate, tenetur restituere, quando venerit in pinguiorem fortunam. Nam accipiens rem in extrema necessitate, non fit Dominus. num. 61.

Necessitas facit omnia communia, id est, communicanda. Et sufficit mutuare indigenti. nu. 62.

Qui absque extrema necessitate accipit aliquid ad comedendum, vel vestiendum, peccat mort. & tenetur restituere. cap. 17. num. 118.

Peccat mortal. qui sine necessitate extrema occultè accipit res superuacaneas alterius, vt sibi vel alteri subueniat, numero 119.

Qui aliter non potest subuenire extre-  
 P p 2 me